

1409 sus Joannam Reginam ulciscendam transiit, Neapolitanum regnum jure belli suum fecit. Is postea ex Italia in Pannoniam vocatus, domestica fraude oppressus, Ladislauum superstitem reliquit: qui procedente tempore & ipse ad hæreditarium regnum recuperandum accitus, in Dalmatiā transgressus, Jaderam aliquandiu oppugnatam recepit. Interim certior per literas factus, Neapolitanos ac plerosque regni principes ad defectionem spectare, in Italiā trajecturus, urbem ipsam cum toto agro, littoribus, ac quicquid pelagi ad ejus fines attinet, centum millibus Veneto nomini vendidit. Ad quam recipiendam quatuor legati cum valido præsidio missi sunt, Franciscus Cornarius, Leonardus Mocenigus, Antonius Contarenus, & Fantinus Michael. Apud quosdam reperio, ante Venetos Jaderam recepisse, quam cum Patavino esset debellatum. Fuit ea res civitati longe grata, tum propter ipsum mare (est enim totius fere Dalmatiæ navigantibus opportunissima) tum quia, ea recepta, apparebat fore, ut omnis ora Dalmatica quandoque ad imperium retraheretur: quod ita sane non multo post contigit. Sunt qui tradant, totius Dalmatiæ jura Venetos a Ladislao cum Jadera redemisse. Decreta igitur ob hæc quæ diximus supplicatio, & in diem unum feriæ indictæ. Paucis interiectis mensibus Sicenses civili discordia laborare cœperunt, nobilibus rem ad Venetos trahentibus, reliqua civitate ad Pannoniæ regnum. Consternata multitudo arma capit, ejectaque optimatum factione, publicam administrationem invadit. Qui domo pulsi sunt, ad Venetas opes configere: mox dedicationem pæcti orant, ut primo quoque tempore ad Sicum recipiendum in Dalmatiā transeant. Expediuntur confestim longæ naves quatuor, aliaque minora navigia circiter quinquaginta. Urbs oppugnatione tentata, non solum defensa est, sed Venetus cum ingenti cæde est a mœnibus repulsus: apparuitque ex eo, sine majore belli apparatu urbem ipsam expugnari non posse. Mittunt itaque Patres Lodovicum Bucecharinum cum supplemento copiarum, qui terrestri bello Sicenses fatigaret. Sub illius adventum

*Veneti Ja-
deram a La-
dislao Rege
redimunt.*

*In Dalma-
tia ob sicum
aliquandiu
pugnatum.*

ere-